

5.2
DISSERTATIO
JURIS FEUDALIS
DE
EO, QUOD REFERT,
FEUDUM SUB CLAUSULA:
PRO TE ET HÆREDIBUS TUIS &c.

VEL
PRO TE ET FILIIS TUIS,
AUT DESCENDENTIBUS &c,
DATUM ESSE.

QUAM
CUM PARERGIS
EX JURE FEUDALI GERMANIÆ COMMUNI PRIVATO
ET FEUDORUM IMPERII PUBLICO SELECTIS

PRÆSIDE
GODEFRIDO MOLL J. C.

COLLEGII ACADEMICO-JURIDICI ET ARCHIDIACONALIS CURIÆ MAJORIS
PRÆPOSITURÆ BONNENSIS ADSESSORE, JURIS FEUDALIS
ET CRIMINALIS PROFESSORE PUBLICO ET ORDIN.
IN ACADEMIA ELECTORALI MAXIMILIANEA
ad Diem XIII. Septembris Anni MDCCLXXIX
H. E. L. C.

ERUDITORUM TENTAMINI & CRISI SUBMITTIT
ALBERTUS ANTONIUS VOGT, Westphalus
ex Obringhausen, Jurium Praxeosque Candidatus.

BONNÆ, in Typographia Electorali-Academica.

DISSERTATIO

JURIS PUBLICI

DE QUODAM REBUS

PRO TE ET HEREDIBUS TUIS

PRO TE ET TUIS
ANT. DESCENDENTIBUS

DATUM

1784

CUM PARERET

EX PUTE FIDUCIARIE

RESIDE

GODEFRIDO MOLLER

COLLEGIUM ACADEMICUM

IN ACADEMIA ELECTORALI

AD PARS IIII

H. E. L. G.

ALBERTUS ANTONIUS VOLT

in Otinghausen

in Otinghausen

BONAE

REVERENDISSIMO
ET
EMINENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO

MARCELLO
FREDERICO

D.G. ARCHIEPISCOPO COLONIENSI
S. R. I PER ITALIAM ARCHICANCELLARIO

AC

PRINCIPI ELECTORI,

S. SEDIS APOSTOLICÆ LEGATO NATO,
EPISCOPO ET PRINCIPI MONASTERIENSI,
WESTPHALIE ET ANGARIÆ DUCI,
BURGGRAVIO STROMBERGENSI,
COMITI IN ODENKIRCHEN, BORKELOHE, WERTH,
AULENDORF, ET STAUFFEN &c. &c.

DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO,

REVERENDISSIMO

ET

EMINENTISSIMO

PRINCIPALI DOMINI

DOMINO

MAXIMILIANO

MAXIMILIANO

D. G. ARCHIEPISCOPO COLONIENSI

S. R. I. PER ITALIAM ARCHICANCELLARIO

PRINCIPALI ELECTORI

S. SEDIS APOSTOLICE LEGATO NUNTI

EPISCOPO ET PRINCIPALI MONASTERII

WESTPHALIE ET ANGARIE DUCI

BERGOMARIE STROMBERGENSI

COMITI IN OBERKRAICHEN, HORNBERG, ET T. N.

ALLENBORG, ET STAUFEN, &c. &c.

DOMINO VOSTRO CLEMENTISSIMO

lem Jur
recente A
nobis co
publicis
es, exig
figere la
mora in
mi hujus
curatillimo

REVERENDISSIME
A C
EMINENTISSIME
ARCHIEPISCOPE
PRINCEPS ELECTOR
DOMINE DOMINE
CLEMENTISSIME!

*Non satis in acceptis referenda Benevolentia, summaque Pro-
videntia, quã inter ceteras litterarum Scientias & Feuda-
lem Jurisprudentiam in hacce TUA Electorali tam florente quam
recente Academia do- & discendi Beneficium per quadriennium modò
nobis conferre, ceu agros feudales in ea cum fructu colendos paginis
publicis quasi investituræ litteris assignare & demonstrare dignatus
es, exigit, ut & partem fructuum, quos in iis quotidiana cultura col-
ligere laboravimus, hoc præsertim fructifero alios vicissim debitores ex
mora in statum partem debiti saltem solvendi traducente anno in sum-
mi hujus Beneficii recognitionem quasi laudemii loco nunc tandem
humillimè offeramus.*

Ad

REVERENDISSIMO
AC
EMINENTISSIMO
ARCHIEPISCOPO
PRINCIPIS ELECTORIS
DOMINI DOMINI
CLEMENTISSIMI

*Ad TUUM igitur Electorale Solum supplices advolvimus, EMI-
NENTISSIME ac CELSISSIME PRINCEPS ELECTOR!
Hoc quasi feudale debitum persolventes, accipe illud in subjectissimi feu-
dalis obsequii pignus eò verius, quò serius est, hasque pagellas utitè
levidenses Celsissimo Nomini TUO inscriptas oculo TUO non de-
dignare, & alio forsan tempore meliora patriæque utiliora, si vires
patientur, conabimur, qui nos quasi vasallos fidelissimos potentissimæ
Protectioni TUÆ, Domine, Patrone, & Senior Noster Cle-
mentissime! commendantes profundissimæ Submissioni & Reveren-
tiæ immorimur.*

EMINENTIÆ TUÆ ELECTORALIS

SUBMISSISSIMI AC DEVOTISSIMI
PRÆSES, ET DEFENDENS,

formosiss
& bever
alteri dit
Inter
Cap. 11.
(paucis
inter se
dio modo
spes affu
ciet, qu
autem ra



P R Æ F A T I O.




Siquod juris feudalis thema est, cujus tam singularis in quotidiano rerum feudalium usu utilitas, quàm frequens Feudistarum inter se confligeotium dissensio, revera est illa juris feudalis Interpretibus famosissima Feudorum divisio in Feuda ex pacto & providentia, & hereditaria, quæ huic valdè controversa, illi subtilis & intricata, alteri difficillima & implicatissima, aliis alia dudùm visa fuit.

Inter cæteros meretur hîc adduci ROSENTHALL de feudis Cap. II. Concl. XXXIII. Divisio hæc, ait, apud omnes interpretes (paucis exceptis) recepta quidem est, sed quomodo singulæ hæc species inter se differant, & quos operentur effectus, controversiæ sunt gordio nodo intricatiores, tam arduæ, difficiles, & nodosæ, ut mihi nulla spes affulgeat, quod unquam componi possint, nisi Deus Principes excitet, qui eas tandem imperatoria auctoritate interposita sopiant. Sunt autem tanti momenti, ut & patronis causarum, & postea ipsis judici-
bus

bus harum differentiarum scientia sit apprime necessaria & utilis. In medio hujus divisionis, quam à KIRCHBERG, KÖNIG, LAMBERTUS, ROTHIVS & alii plures funditus elaborârunt, & ut subsistentem, ac in foro & schola feudali utilissimam si non & necessariam satis propugnant, supernascitur in specie hæc quæstio, an feudum *pro hæredibus* vel *informiter* datum differat à feudo *pro filiis* aut *descendentibus* dato, seu an illud *pro hæredibus* concessum sit *hæreditarium*, nec ne. Atque hoc thema, cum apud juris feudalis scriptores vel inter alias tantùm feudales materias obiter & brevius vel in sententia contraria pertractatum adverterem, hoc ipsum præ cæteris disputationi publicæ elegi & elaborandum suscepi, quò pluribus illud difficultatibus & Feudistarum dissensionibus in scholis & curiis feudalibus involutum, & quò frequentiore ejus in plurimis causis feudalibus usum fructumque sperandum reperio. Te L. B. obtestor, hunc quantumcunque laborem æqui bonique consule, & si non meæ saltem adversariæ tibi non minus in eo dilucidatæ Sententiæ fructum exinde colligere scies.





DISSERTATIO

JURIS FEUDALIS

DE

EO, QUOD REFERT,

FEUDUM SUB CLAUSULA:

PRO TE ET HÆREDIBUS &c.

VEL: PRO TE, & FILIIS, VEL DESCENDENDIBUS &c.

DATUM ESSE.

§. I.

De Successionis feudalis natura.

Natura & proprietas Feudorum nulla ex parte ab Allodiorum indole magis discrepat, quàm in *Successione*. Ex quo enim Feuda primùm ad *heredes feudales* transire cœperunt, cùm olim arbitrio Domini instar *precarii* primùm, deindè morte Vasalli more simplicis cujusdam *ususfructus* feuda deserint, sensim verò ad *Filium*, in quem Dominus id confirmare volebat, postea ad *filios omnes* & ex his *Nepotes* aut *ulteriorum graduum liberos*, àc denique ad *omnes* primi Vasalli acquirentis *liberos masculos* successio extensa sit (a); 1) in feudis non sicut in allo-

allodiis succedunt feudales hæredes *promiscuè ex jure sanguinis*, sed illi tantùm, qui *lege & consuetudine feudali* vocati sunt, scilicet *soli & omnes liberi masculi* à primo Feudum acquirente per continuum sexum masculinum legitimè *descendentes* (b), exclusis primi acquirentis ascendentibus & Collateralibus (c), descendentibus fœminis & ex illis venientibus maribus Cognatis (d), extraneis testamento scribendis hæredibus (e), adoptivis & legitimatis saltem per rescriptum (f). 2) Successio *feudalis* non fit in *jus ultimi possessoris* Vasalli defuncti universale, uti allodialis, sed in *jus primi acquirentis*, seu à concedente per primum acquirentem ministerialiter medià investiturà quæsitum quàm rem singularem.

(a) I. F. I, L. 5. feud. Const. I. apud SENKENBERG in Corp. J. F.

(b) I. F. 8 in pr. & §. I, I. F. 14 §. I, II. F. II & 31.

(c) I. F. 8 §. fin., I. F. 20, II. F. II §. I, & II. 50.

(d) I. F. I §. 2, I. F. 8 §. 2, II. F. II & 51. §. 3.

(e) I. F. 8 in pr., II. F. 9 in pr., II. F. 55 in pr.

(f) II. F. 26 §. adoptivus, & §. 10 naturales.

§. II.

Natura Successionis feudalis Pacto & Lege potest immutari.

Uæc Successionis feudalis ita ab allodiali differentis natura non minùs, ac reliqua Feudorum *proprietas* scilicet: *perpetuitas, juramentum fidelitatis, servitia &c.* (a) essentiam feudi in *Dominio directo, utili, fidelitate, & re immobili* (b) subsistentem non ingredientia, salva feudi veritate voluntate contrahentium pacto contractui feudali adjecto in totum vel in tantum immutari potest (c), uti & ipsa Lex feudalis communis quandoque ex speciali tamen semper ratione naturam Successionis feudalis ex pacto immutat, quando ad Successionem feudi per fœminam primùm acquisiti *proprie fœminini* nomine in sensu juris feudalis venientis ulteriùs fœminas quamvis in Litteris investituræ non vocatas admittit (d). Sic & Lex feudalis Provinciæ & Curix nostræ Electoralis Colonienfis (e) disponit, feudum *informiter* seu *absque nominatione ullius sexus in Curte* datum pro fœminino promiscuo, ut masculinum verò vulgò: als ein Mannlehn in litteris investituræ concessum nullatenùs pro fœminino habendum esse. Huic similes plures germaniæ leges particulares Successionis feudalis communis naturam immutantes habemus

mus in Territorio & Curia feudali *Monasteriensi, Osnabrugensi, Leodiensi, Fuldensi, Zuliacensi, Montensi, Clivensi &c.*

(a) H. F. 23 §. fin., II. F. 31; II. F. 3 §. 4, II. F. 24 §. 1, II. F. 23 §. fin., II. F. 28, & II. F. 2 §. 2.

(b) II. F. 8 in pr., II. F. 23 §. fin., II. 34 §. 2 & 3, II. F. 3 §. 4, & II. F. 1 §. 1.

(c) I. F. 8 & 20, II. F. 11 & 50, II. F. 48 pr.

(d) I. F. 8 §. 2, II. F. 11 pr., II. F. 30, II. F. 104 §. 2.

(e) Ord. juris Prov. Tit. 7 §. 1, 4 & 6to.

§. III.

Feudum in Successione impropriatum hæreditarium est.

Feudum tale, in quo Successionis feudalis indoles in totum vel pro parte immutatur, illicò *improprium* est, cum feudum illud demùm sit *proprium* nominandum, quod omnia habet & retinet feudorum naturalia juxta illud vulgatum: *bonum ex integra causa &c.* Hæc feudi in Successionis natura facta impropriatio quia facit feudum hoc in Successione accedere *alodiis* quæ *bonis hæreditariis* & horum successioni hæreditariæ, quæ opponuntur feudis, sicut & ipsis alodiis familiæ fideicommissis conventionalibus quæ *bonis familiæ*, in quibus nulla successio hæreditaria & universalis in jus universum defuncti, sed *partita*, & *particularis in jus primi acquirentis* (*); hinc illud Juris feudalis interpretes, ut ab aliis aliundè impropriatis feudis scilicet *injuratis, francis, personalibus &c.*: verbo clarè discernent, in specie feudum *Hæreditarium* nominarunt, eique feudum aliud *ex pacto & providentiâ* dici solitum, quæ nullatenus hæreditarium opposuere. Prout autem à naturâ successionis feudalis vel *omnimodè* & quoad *personas* successuras vocatas & quoad *modum* succedendi allodiale & hæreditarium communem introductum, vel *ex parte* receditur, & allodiali successioni per pacta contractantium acceditur, eatenus feudum *merè* & respectivè *mixtum*, seu *secundùm quid*, imò alii *hæreditarium* simpliciter appellare amant.

(*) Cocceji Dissert. de feudo hæreditario mixto §. 10 & sq.

§. IV.

*Explicatur Divisio Feudi in Hereditarium, & ex pacto
& providentia.*

Equidem omne feudum etiam ex pacto & providentia in specie dici solitum **H**ereditarium hoc sensu est, quòd non personale seu temporale & ad dies vitæ tantùm durans, sed perpetuum suo modo sit & ad primi acquirentis descendentes masculos de cætero habiles quàm hæredes seu successores feudales ex juris feudalis dispositione & pacto contrahentium transeat, uti & vicissim omne feudum etiam hereditarium in specie *ex pacto & providentia* est, quatenus ex pacto primi concedentis & providentia primi acquirentis vim suam & originem unicè habet. Ast hæc ità in Sensu & significatu largiore & ab instituto Feudistarum uti & præsentè nostro longè latequè alienio, quod est hic dignoscere, qualiter & quàm diversimodè feudum de sui natura perpetuum in ipsa successione se habere possit per hoc, quòd unum ex *sola juris feudalis providentia vel dispositione* ad successores & hæredes feudales, alterum verò *jure quodam hereditario* & allodiali ad hæredes transeat, quorum illud ex hac successione ratione *ex pacto & providentia*, aliis *familhare* vulgò: ein *Stammlehn*, hoc verò *hereditarium* apud juris feudalis interpretes, tantùm non omnes, nec ineptè dici solet. De hac autem divisione & ejus subsistentia, quippè quam alii satis nervosè enucleatam nobis reliquerunt (*), hic non plura, nec de eo quidquam ultrà, an feudo qualitas hereditaria ex ipsa concessione rei in feudum de jure feudali communi adveniat, sicque feudum in dubio hereditarium præsumendum illudque proprium sit; an econtrà hanc qualitatem demùm ex litteris investituræ & illarum conceptione nanciscatur, sicque in dubio ex pacto & providentia præsumi, & hereditarium feudum improprium dici debeat, ne à scopo & sine longiùs digrediar.

(*) à KIRCHBERG Disc. de feudo ex pacto & provid. & feudo hereditario. KÆNIG Diss. de differentiis feudorum heredit. & ex pacto & provid. talium. LAMBERTI Diss. de spuriiis & genuinis feudi hereditarii notis. ROTHII Diss. de feudo hereditario. COCCEJI Diss. de feudo heredit. mixto. MENKENII Prolusio Academica de Logomachiis & dissensionibus juris feudalis interpretum circa divisionem feudorum in hereditaria atque ex pacto & providentia talia.

§. V.

An Feudum: pro hæredibus &c. datum sit hæreditarium.

Quemadmodum autem & quibuscumque etiam juris feudalis interpretibus extrà dubitationis aleam c.â positum, quòd pactis contrahentium successione feudalis natura immutari & in ejus locum successio hæreditaria in totum vel saltem secundum quid substitui possit; ità econtrario & inter hos ipsos maximè controversum est, 1) quibus Verbis, Verborum formulis seu conceptionibus feudum *hæreditarium* intelligatur constitutum, & ex genuinis litteras investituræ interpretandi regulis intelligi debeat ac possit; 2) quomodo & in quantum hoc vel illo modo citrà dubium aliquo modo hæreditarie concessum feudum ex his principiis bonæ interpretationis reverà *hæreditarium* sit habendum (a), cum feuda ex diversis investiturarum formulis & clausulis diverso modo magis aut minùs de successione hæreditariæ qualitatibus participare possint; 3) an feudum *pro te & hæredibus*, vel *successoribus tuis* item: *informiter*, id est, absquè ulla nominatione hæredum aut liberorum tuorum concessum sit hæreditarium & in effectu à feudo *pro te & tuis descendens, liberis, posteris &c.* dato diversum nec ne. Prætermisissis duabus prioribus tertia quæstio juris tam in foro quàm scholà feudali maximè controversa unicè præsentis dissertationis objectum esto.

(a) Vide LAMBERTI Diss. suprâ cit. Cap. III. de genuinis feudi hæreditarii notis.

§. VI.

Affirmant hoc multi.

Postquam feuda in modernam formam ex antiquis beneficiis crevere, sicque hæreditaria esse seu in hæredes feudales transire cœperunt; diversimodè & sub diversis formulis jam *simpliciter*, *informiter*, & *indefinitè*, jam *definitè* & cum nominatione primi acquirentis *hæredum*, *successorum*, vel *liberorum*, *posterorum*, *descendentium &c.* in litteris investituræ scribi vassalloque à domino extradi solitis dabantur. In hac litterarum investituræ diversitate multi illius temporis Feudistæ credidère, has formulas, scilicet: *concedo tibi feudum & tuis hæredibus*, vel *successoribus*, item: *concedo tibi feudum multum differre ab his: concedo feudum pro te & tuis descen-*

dentibus, liberis, posteris &c. ac per illas feudum hæreditarium simpliciter, uti volunt *Neapolitani* & *Siculi* Jcti, vel saltem *Mixtum* à parte filii, ut *Pileani* à *Pileo* primo authore dicti prætendunt, effecti dijudicârunt, per *bas* verò feudum ex pacto & providentia tantùm manere asserunt. Et de hoc feudo *informiter* aut cum addito: & *pro hæredibus tuis* dato *Pileani* dicunt & volunt exinde tantùm loqui vel saltem intelligendos esse textus feudales in F. 45. & 51. §. 4. ubi dicitur filius non posse retinere feudum Patris defuncti & repudiare ejus allodium sicùt *agnatus*. Hoc ipsum feudum ideò *hæreditarium mixtum* alii *ex provisione legis* in specie ob admixtam successione in eo partim feudalem, partim allodialem, sicque ut tertium à feudo ex pacto & providentia uti & feudo simpliciter aut merè hæreditario distinctum nominârunt, & quidem ex sequentibus hoc potissimum *fundamentis* affirmant.

§. VII.

Primum affirmantium Fundamentum.

Primo ità affirmativè sentientes prætendunt, quòd primus feudum concessit & acquirens per rō: *pro tuis hæredibus* absque dubio & necessariè quid aliud imò plus & efficacius voluerint, quàm per rō: *pro te* & *tuis descendentibus*. 1) Vocabulum enim *hæredis*, dicunt, in propria suâ significatione sumi debet, nec ab hac proprietate verborum in explicandis verbis loquendo aut scribendo agentium recedendum est, nisi urgens ad hoc cogat necessitas. In propria autem significatione sua *hæres* omnem significat successorem, L. 170. ff. de V. S. qui in omne jus defuncti nec singularium rerum dominium succedit L. 37. de *acquir. vel omittenda hæreditate*, cùm & ipsam *hæreditatem* Jc. in L. 24. de V. S. & 62. de R. Juris ff. nihil aliud esse asserat, quàm successione in universum jus, quod etiam non expressis quàm nobismet ipsis cavemus (*), cur non idem in literis investiturarum *informiter* seu absque nominatione hæredum, liberorum &c. conceptis factum esse adstruamus? imo 3) si aliud diceretur, ajunt, vocabulum *hæres* in investituræ litteris saltem expressum absque virtute operandi esset, quia & sine ejus appositione *filius* vocatus tanquam *hæres feudalis* subintelligitur.

(*) L. 9. ff. de probat. II, F. 18.

§. VIII.

§. VIII.

Alterum affirmantium Fundamentum

Secundo se fundant in *L. 22. ff. de operis libertorum §. 1.*, ubi *Gajus* JC. ait, quòd, si libertus patrono operas se daturum promisit, non tamen adjecit: *liberisque tuis*, patroni liberis ità demùm debeantur operæ, si patroni quà patris sui hæredes extiterint. Ex hac ergo legis dispositione à contrariò pronè fuit, quòd liberi in casu, quo illis explicitè libertus ad stipulationem patroni æque ac patrono ipsi respondendo operas promisit, possint post mortem patris exigere operas à libertò, etiamsi patris hæredes non sint. Exindè ità à pari concludunt vel saltem concludere possent: ergò & tantùm in casu quo feudum informiter seu simpliciter vel *pro te & tuis hæredibus &c.* datum est, filius non potest succedere in feudo patris, nisi & sit hæres ejus in allodiis, nec potest retinere feudum & repudiare allodium Patris, deque hoc feudo ità concesso, ut *hæreditario mixto* vel aliis *ex provisione legis* idèò volunt tantùm intelligi textus juris feudalis Longob. (*). Econtrà, si feudum, *pro te & tuis liberis*, aut *descendentibus &c.* concessum est, poterit filius ità in feudo hoc patri succedere, quin sit hæres ejus allodialis, sicut in casu legis citatæ potest exigere operas à libertò, imò poterit retinere hoc feudum & repudiare allodium patris, quin impingat in textus juris feudalis citatos, quippe de hoc feudo *pro descendantibus* aut *liberis* concesso non loquentes nec intelligendos.

(*) In II. F. 45. & 51. §. 1.

§. IX.

Tertium affirmantium Fundamentum.

Tertid provocant ad *L. 5. ff. de religiosis & sumptibus funerum*, ubi idem JC. *Gajus* ità: *Familiaria sepulchra dicuntur, quæ quis sibi suæque familiæ constituit; hæreditaria autem, quæ quis sibi suisque hæredibus constituit.* Hæc lex nos docet notas characteristicas, sepulchrorum *familiæ* à sepulchro *hæreditario* ex primæva foundatione seu ordinatione authoris dignoscendi, prout in litteris foundationis vel alterius cujuslibet dispositionis *familiæ suæ*, vel *contra hæredibus suis* destinavit & constituit.

Undè

Undè hic in formulis investituræ quæstionis hæc formari potest conclusio: ergò & feudum *sibi & hæredibus suis* vel, quod idem est, *informiter* concessum est *hæreditarium* saltem *mixtum* cum effectu latente in II. F. 45 & 51, feudum verò non ità, sed *sibi & liberis*, vel *descendentibus* concessum *ex pacto & providentia majorum* est, quod & ideò ab aliis feudum *familiare*, *gentilitium*, vulgò: ein *Stammlehn* dici solet.

§. X.

Quartum affirmantium Fundamentum.

Quartum fundamentum desumi potest à *fideicommissisfamilie* (a) in quibus filius hæres fideicommissarius etiam non succedit *ultimo possessori* & ejus beneficio, etiamsi bonum fideicommissarium ei in testamento ultimi possessoris explicitè legatum sit, sed *primo* ità in & pro familia *disponenti*, *ejusve providentia & beneficio*, cum hic à parte hæredis fideicommissarii perindè omnia habenda sint, ac si nominatim ex primi disponentis manu immediatè ei relicta essent. Quid est enim, quod de suo videatur reliquisse, qui id, quod reliquid, omninò alteri ut creditori & tanquam æs alienum post mortem reddere debet? unde nec fideicommissum jure majorum ad successores transiens pars hæreditatis defuncti est, cum fideicommissum petere seu retinere, & allodiam ultimæ possessoris hæreditatem liberam repudiare possint. *Feuda* verò in transmissione & translatione sua sunt species aliqua fideicommissorum familie (b) cum & de sui natura ex *jure & dispositione majorum* capiantur, & vasallus possessor eadem post mortem suam iis de familia cogatur restituere seu relinquere, qui ex pacto, providentia, & dispositione majorum ad ea vocati & in prima investitura comprehensi sunt; consequenter & feuda ex eadem juris ratione ad vasalli successores etiam filios non *ejus*, sed *majorum* seu primi concedentis & acquirentis beneficio, transire, atque illi feudum parentis retinere & ejus allodiam hæreditatem repudiare posse deberent. Ex quo autem jure feudali (c) specialiter cautum est, ut filius volens retinere feudum patris hæreditatem ejus allodiam non repudiet, aut unà cum hoc feudum ipsum repudiare, sicque feudum ab alodio patris separare non debeat; eo ipso naturæ feudii aliquid hæreditarii admixtum, atque ibi, ubi jus feudale ità disponit, de feudo *hæreditario* saltem *mixto* scilicet *pro hæredibus* explicitè vel implicite, id est, *informiter*,

miter, nullatenus verò de feudo: *pro descendantibus, liberis &c.* concessio tanquam feudo ex pacto & providentia majorum sermo esse videtur.

(a) Vide *L. 67. ff. de Legatis II.*

(b) Coccej. *Diss. de feudo hereditario mixto §. 13. & 31.*

(c) In *textu II. F. 45. & 51. §. 4.*

§. XI.

Prima negantium Ratio.

Alii econtrà feudum *pro heredibus vel informiter datum* negant *hereditarium* etiam solummodò *mixtum*, & sicut feudum *pro descendantibus* seu *liberis* datum merè *ex pacto & providentia* esse, sicque unum ab alio in diverso juris effecta non differre, ac neutrum sive novum, sive antiquum per filium repudiato patris allodio retineri posse contendunt. Quibus & ego S. M. J. accedere ex sequentibus rationibus moveor. *Ratio ima.* Communis jurisperitorum regula juris est: *ubi Lex non distinguit, sed disponit generaliter, nec jurisperitus distinguere debet*, præsertim ubi inter casum & casum est identitas rationis. Hæc regula absque dubio huic innitur fundamento, quòd non possint omnes articuli singillatim legibus aut senatusconsultis comprehendi, sed cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is, qui jurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ità jus dicere debeat; neque leges, neque senatusconsulta ità scribi possunt, ut omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur (*). Quandoquidem ergò textus feudales sæpè citati non distinguunt, quomodò filius sit vocatus, sed generaliter disponunt, *filium* non posse retinere feudum & repudiare allodium; adversarii inter casum filii *ut heredis*, vel *ut descendantis &c.* Vocati eò minùs distinguant, quò certius in utroque feudo eadem dispositionis hujus feudalis quoad filium ratio infrà (§. XIII.) adducenda obtinet. Benè distinguens benè doceat ibi, ubi distinctione hæc media vult & debet tolli antinomia & conflictus legum, sicque distinctio per talem circumstantiam necessitatur. Talis autem necessitas ità in quæstione substrata feudali distinguendi adversariis nulla est, adesset verò, si ullus juris feudalis textus existeret prioribus contrarium disponens, filium scilicet feudum patris retinere & allodium ejus repudiare posse.

(*) Gl. in *L. 10, & 12 ff. de L. L. §Ctis, & longà consuetudine.*

§. XII.

Altera negantium Ratio.

Ratio altera. Vox: *hæres* est generica & continet *hæredem feudalem* & *allodiale* ut species. Cùm *hæres* idem sit ac *successor*, qualis & feudis æquè ac fideicommissis familiæ suus & specialis est. Voces genericæ semper de illa specie sunt intelligendæ, quæ naturæ & indoli substratæ materiæ & intentioni contrahentium seu feudum constituere volentium convenit, cùm in contractibus sequarum id, quod actum est, quodve specialiter actum est, præferendum scripturæ forsan generaliori: substrata autem materia feudalis est, nec à feudi natura contrahentes in dubio possunt, nec debent præsumi voluisse recedere per clausulas in contractu feudali expressas, quousque ad feudalis contractus seu ipsius feudi naturam reduci possunt; cùm in casibus incertis naturalia præ illis, quæ factò quopiam extrinsecùs rei accedunt, præsumantur (a): quare sub voce: *hæres* in litteris investituræ feudalis occurrente intelligendus est hæres illius juris, seu illi juri suus & proprius, quod in litteris investituræ aliis constituitur, nempe *feudalis*, qualis est *filius* & *omnis ulterior* per sexum continuum masculinum legitimè *descendens masculinus* (b). Consequenter feudum *pro hæredibus* aut *pro liberis*, ceu *descendentibus* datum esse de jure non refert, & *utrumque* ex pacto & providentia tanquam ipsi feudorum usui & naturæ conforme est & præsumi debet. Hæc ipsa negantium Ratio altera ex ipsis adeò juris feudalis textibus (c) apertè comprobatur, ubi disponitur non modò, quòd per rō: *hæres* debeat intelligi *solus masculus* exclusa fœmina, sed & verba: *hæres masculus* simul posita in feudis intelligenda sint, ac idem significant, quòd *filius masculus*. Nèc cum fundamento hic diversa operatio vocabuli: *hæres*, prout ab *homine* vel *lege* adhibetur, hæcenus defendi potest, quasi hoc vocabulum ab *homine* usurpatum *allodiale*, à *lege* verò *feudalem* inferat hæredem; cùm adhæc possit responderi interrogando: hæc vox *hæredis* à *lege* usurpata denotat *hæredem feudalem* & non *allodiale*, cur non & ab *homine*? idque eò magis, quò certius contrahentes in dubio se juris dispositioni conformasse de jure præsumitur. Imò errat, qui in citatis testibus tantum de vocabulo *hæredis* à *lege* usurpato mentionem fieri contendit, cùm in priore textu supponatur illum, qui suum feudum eadem lege alteri subinfeudare vult, hoc ipsum sub clausulâ *infeudationis pro se & suis hæredibus* habere, & explicitè ibi dicatur, hoc intelligi debere de *solis masculis*. Si itaque *hæres masculus* in jure feudali

idem

idem est, ac *filius masculus*, quomodo possunt ergo adversarii cum fundamento feudum *pro heredibus* datum etiam ut prætensè *hereditarium mixtum* in effectu à feudo *pro descendantibus, liberis, vel filiis* dato tanquam & apud illos feudo ex pacto & providentia diversum distinguere?

(a) Argum. L. 7. Cod. de Cond. ob causam datorum.

(b) I. F. 18 & 19 §. 1, I. F. 20, II. F. 11 in pr.

(c) II. F. 34 §. 4. profectò &c., & I. F. 13 §. 2 etfi clientulus &c.

§. XIII.

Tertia negantium Ratio.

Ratio tertia. (I) Filius à patre mediante ejus sanguine capit feudum, non item agnatus collateralis; undè legislatori feudali in textibus suprâ (§. X lit. C) citatis indecorum & iniquum visum fuit, si filio feudum patris retinere, allodiale verò hæreditatem in dedecus patris, cujus honori omni quo potest modo consulere debet, repudiare liceret. In patrem autem ob hæreditatem ejus à filio repudiandam eò majus redundare dedecus credebatur, quo magis Romanorum Patresfamilias, quorum jure civili & Longobardos in Italiâ usos fuisse textus in II. F. 1, & 11 §. 2, item II. F. 33 in pr. & 37 sunt testes, liberos hæredes suos allodiales esse ità amabant, ut jure Veteri Rom. liberi fuerint patris hæredes *sui & necessarii* absque abstinendi beneficio seriùs illis dato. (II) Jus feudale supponit filium, tamen in feudo sicut & in fideicommissò familiæ non *in jus* patris, sed *primi acquirentis*, tamen in omni feudo ex speciali hac juris consideratione *jure & beneficio* patris quà ultimi possessoris succedere, quia patrem ei adhuc in renovatione sua investituræ ad tenorem primæ investituræ *pro se & heredibus*, seu ex se *descendantibus* scilicet *filiis* suis facta immediatè novum aliquod beneficium præstitisse credit, sub qua autem renovatione agnatos collaterales non comprehendi manifestum est, qui ideò feudum ultimi possessoris retinere & allodiale hæreditatem secùs, ac filius, repudiare posse in II. F. 45 & 51 simpliciter dicuntur. Quæ cum ità in fideicommissis non simul interveniant, claram habemus disparitatis rationem, cur non habeatur lex allodialis filium ità in fideicommissò, sicut Lex feudalis eundem in feudo patri succedentem ad hæreditatem ejus allodiale simul adstringens, quare etiam de jure civili aliud, ut plures sustinent civilitæ, in fideicommissis familiæ obtineat.

§. XIV.

Quarta negantium Ratio.

Ratio quarta. Neque illi textus ita disponentes de feudo *pro hæredibus* dato ut *hæreditario*, sicut adversarii volunt, idè sunt tantùm intelligendi, quia, si & de feudo ex pacto & providentia: *pro te & descendentes* intelligi vellent, essent frustranei quoad agnatos ultimi possessoris tanquam sub hujus renovatione: *pro te & descendentes* evidenter non comprehensos. Ad hoc enim respondetur 1): sufficit, quòd illi textus quid speciale disponant & operentur quoad *Vasalli descendentes*, & per hoc, quòd in *agnatis* contrarium statuunt, *Rationem tertiam* (sub §. XIII N. II) firmando sãt superque manifestent rationem differentis statuitionis inter *Vasalli filium & agnatum collateralem*. 2) In toto jure feudali longobardico nulla fit mentio *feudi hæreditarii*, & tota divisio in feudum ex pacto & providentia, & hæreditarium non legalis sed merè *magisterialis* seu *doctrinalis*, & Feudistarum inventio est; imò textus juris feudalis in dubio potius de feudo *proprio*, quàm improprio, quale feudum hæreditarium *pro hæredibus* datum in sensu adversariorum est, vel saltem esse debet, aut utroque sunt intelligendi. Quomodò igitur adversarii illos feudales textus de feudo *pro hæredibus* dato tantùm ut *hæreditario* sicque *improprio* intelligere possunt? 3) Si illi textus de hoc feudo hæreditario tantùm loquerentur, deberent de agnato idem disponere, quòd de filio, nec sufficeret, agnatum primi acquirentis in feudo *hæredem* esse, uti aliqui ex adversariis credunt (*); quia verbum: *hæres* ipsis adeò adversariis est verbum in litteris investituræ latiùs patens, ac verbum: *descendens*, & comprehendit *omnes* à primo acquirente descendentes ut *hæredes* vocatos, consequentes tam à parte *ultimi possessoris agnatos* à primò tamen acquirente descendentes tanquam indubitatos feudi *hæredes*, quàm *filios*, sicque feudum à partè horum omnium reddit *hæreditarium*. Ex quo autem illi textus de agnato Vasalli contrarium statuunt, liberum illi relinquendo an velit hæreditatem allodialem simul admittre, an repudiare, sicque inter hæreditatem defuncti & feudum ab ipso relictum distinguant; evidens est, illos feudo huic hæreditario minimè conformes, sed de feudo *ex pacto & providentia*, sive *pro descendentes*, sive *pro hæredibus* concessio interpretandas esse. 4) Neque etiam admitti potest, textus illos ratione *agnatorum de feudo ex pacto & providentia*, ratione *filii* verò de feudo *hæreditario* loqui; siquidem de ejusdem generis feudo ibi quoad *utrumque* agi lectio. textus &

& copula disjunctiva: *ubi verò* &c. docet; & sic si de feudo hæreditario loqueretur, vel idem obtineret in agnato quod in filio, quod adversatur textibus, *vel* adversarii feudum omne etiam *pro descendantibus* &c. datum à *parte filii* hoc sensu quamvis *in pte hæreditarium* esse admittere deberent, quod tamen nolunt. Hæc pro negantium sententia adduxisse non sufficit, sed ad affirmantium fundamenta respondere adhuc superest.

(*) Inter alios vide BOREHOLTEN Tr. de feud. Cap. VII. p. 2.

§. XV.

Respondetur ad primum affirmantium Fundamentum.

Ad primum. (§ VII). Errant egregie omnes, ac falso nituntur præsupposito, qui formam feudi hæreditarii ex jure civili dignoscere & argumentis exinde petitis determinare volunt, quasi *hæredis* vocabulum in materia etiam feudali *allodiales* denotaret *successores*. Sumatur ad 1) Verbum *hæres* de jure civili in propria significatione, in qua *successorem in universum jus defuncti* significat; contrarium tamen ipsi adversarii in materia adeò allodiali (a) admittunt, si urgens hoc velit necessitas, seu manifestum sit testatorem aliud sensisse. Quomodò igitur feudaliter contrahentes sub voce *hæres* successorem in universum jus defuncti allodiale intellexisse dici possunt, eùm urgens necessitas scilicet feudorum natura hoc non admittat? aliter itaque paciscentes sensisse, & per verbum *hæres* non nisi primi acquirentis *filium* quà *successorem feudalem ordinarium* & unicum intellexisse dici possunt eò, quòd ipsum jus feudale (§ XII.) hæc voce filium significare velit & significet, Consequenter sicut ad 2) in contractibus & commerciis non modò nobis, sed & *hæredibus* nostris, & quidem *allodialibus* pro subtrata materia *contractus allodialis* acquirere volumus; ità & in *contractu feudali* primus feudum acquirens sibi & *hæredibus suis feudalis*, etiam si nec cum nominatione *filiorum, posterorum*, aut *hæredum* addita, sed *informiter* feudum adquisierit, & quidem tantùm prospicere voluisse præsumitur; cùm, si aliud & quidem de hæredibus allodialibus primus concedens & acquirens sensissent, apertius locuti fuissent, & loqui debuissent (b) Neque alios hæredes textus ipse feudalis in II. F. 18 intelligit, quàm *hæredes feudales* de naturâ feudorum tales & à *jure feudali*, vel forsitan & contra feudorum naturam *per pactum* investi-

ura adjectum specialiter *vocatus*, quando his formalibus utitur: *unusquisque enim sibi siveque hæredibus videtur prospexisse*. Ad 3) vocabulum: *hæres* investituræ adjectum in nostris principiis nec magis nec minus sine virtute operandi est, quàm vocabulum: *filius*; & *filius quomodocunque* vel etiàm explicitè *omniò non vocatus* in feudo est *hæres* & *successor*; nec novum & infrequens est, ut ea, quæ insunt, majoris declarationis & omnis dubitationis tollendæ gratia exprimantur (c).

- (a) Ex Lege 69 in pr. ff. de Legatis III.
- (b) Vide Legem 39. ff. de Pactis.
- (c) Argum. Legis I §. 7. de ædilitio Edicto.

§. XVI.

Respondetur ad alterum affirmantium Fundamentum.

Ad secundum (§. VIII). Nullus quidem dubitarem, quin dispositione feudali contraria non existente *filius* sive ùt *hæres* (§. XII. & XV.) sive ùt *filius* (argum. L. cit.) *vocatus* possit feudum patris, uti & fideicommissum familiæ, retinere & allodialem hæreditatem repudiare, etiàm si feudum *novum* seu à patre noviter acquisitum sit, quia & in hoc non solius patris beneficio sed simul ex pacto & providentia Domini directi feudum concedentis succederet (a). Ubi verò lege feudali aliter in genere cautum est, ibi *filius quæ talis* tam parùm ac ùt *hæres* in litteris investituræ ad successionem *vocatus* potest retinere feudum patris & repudiare ejus allodium, quin sub §. VIII. citata lex in contrarium possit adduci fundamentum. Etenim 1) liberis patroni, qui, ùt ùt non existant hæredes patris, possunt exigere operas patrono patri *liberisque* ejus simul explicitè promissas, *quæ liberis* patroni non debentur operæ patrono patri illorum tantùm à liberto promissæ, sed tantùm patri & per illum liberis, si & in quantum sunt hæredes patris, ùti & deberentur extraneis patroni hæredibus. Econtrà vasalli feudum sive novum sive antiquum habentis liberis masculis saltem seu filiis *quomodocunque* vel etiam *planè non vocatis* debetur feudum & ejus successio ex ipsa juris feudalis dispositione & vocatione. 2) Si patroni liberis quæ talibus explicitè à Liberto operæ non sunt simul per stipulationem promissæ, hæ illis post motrem patroni patris non debentur, si non sunt hæredes patris, quia *vel non volunt esse & repudiant, vel non valent esse* forsan exhæredati. Filius verò

verò de jure feudali dicitur tantùm non posse retinere feudum & *repudiare* allodium, h. e. & *nolle* esse hæres patris in allodio, cùm tamen esse possit; sicque filio non est interdicitum retinere feudum patris, ubi allodium non repudiat, sed ab illo forsan est per patrem exclusus (b). Argumentum itaque pro fundanda adversariorum sententia in § VI. ex hac lege in §. VIII. citata petitum in quæstione hujus Dissertationis controversa nimium probat, per consequens nihil. Cæterùm ad ulteriorem hinc responsionem servire possunt dicta ad §. XI. & XII.

(a) COCCEJI Dissert. suprâ cit. §. 10 usque 14 & §. 32.

(b) HORNIUS in Jurispr. feudali Cap. 16. §. 25.

§. XVII.

Respondetur ad tertium affirmantium Fundamentum.

Ad tertium (§. IX). Penè JC. in citatâ Lege inter sepulchra *familiaria* & *hereditaria* & quidem in eò priora à posterioribus separando, ex ipsa constituentis authoris dispositione distinguit, ut *illa* voce *familiæ* in litteris constitutionis usurpata intelligantur constituta, & ad nullum hæredem *extraneum* in testamento scriptum imò pro re nata nec ad *intraneum* ab intestato hæredem *Cognatum*, quod ex formulâ Ordinationis ulteriùs eruendum, sed ad *solos Agnatos* idem nomen familiæ gerentes pertineant; hæc verò sub vocabulo: *heres* comprehendantur, & ad *omnes* pro substrata *materia* sepulchrorum *allodiali* hæredis *allodialis* hæredes sive ab intestato de familia tales, suos aut Agnatos, sive Cognatos, sive omninò extraneos testamentarios spectent. Attamen adversarii hic tam parùm refugii ac in citata Lege sub §. VIII. invenient, cùm in quæstione obvia versetur in *materia feudali*, ubi vocabulum *heres* longè aliud quid denotat, ac in materia Legum Civilium allodiali, ex quibus feudo quæstionis *pro hæredibus* dato formam hereditariam adversarii commodè induere nequeunt. Vide hic dicta in (§. XII & XV).

§. XVIII.

Respondetur ad quartum affirmantium Fundamentum.

Ad quartum (§. X). Equidem feuda in limitata translatione uti & *transmissione* seu *successione* ratione *modi singularis* præsertim à parte Agnatorum collateralium in iis succedentium *fideicommissus* *familiæ* valdè *familia*

similia sunt; undè & successioem in illis sicut in his tam ad ultimi possessoris liberos quam Agnatos collaterales non in jus universale, nec beneficio ultimi possessoris, sed beneficio primi concedentis & acquirentis in jus aliquod particulare, à Lege feudali contraria præsumendo, crederem ita deferri ut filius feudum æquè ac fideicommissum Patris retinere possit repudiata ejus hæreditate allodiali. Nequaquam verò exinde fundatur ratio & necessitas cum adversariis textus feudales simpliciter de feudis eontrà disponentes, quòd filius volens feudum Patris retinere non possit ejus allodium repudiare, benè tamen Agnatus, de feudo *pro hæredibus* vel *informiter* concessò tantum ut prætensè *hæreditario mixto* non item de feudo *pro liberis, filiis* aut *descendentibus* dato tanquam ex pacto & providentia tali intelligendi (§. XI); cum feudum *pro liberis, filiis, descendantibus*, aut *hæredibus, successoribus* datum in jure feudali sit unum idemque feudum (§. XII) scilicèt *ex pacto & providentia majorum* (a), quin etiam *à parte filiorum* utpotè Patri in alterutro ex illis & allodio simul, vel in neutro, succedere debentium possit *hæreditarium mixtum* dici. Nam eo ipso, quo *filius* ex dispositione juris feudalis generali non potest retinere feudum patris & repudiare allodium, sicut Agnatus collateralis, in hoc ipsissima feudorum omnium natura & propria forma ponitur (b), & in tantum solummodò successio feudalis à parte filiorum in feudo patri succedere volentium à jure feudali non est immutata, sicut nec immutatur sed allodiali similis relicta est in aliis successiois punctis, scilicèt quòd ultimo possessori juxtà graduum ab illo computandorum propinquitatem gradu proximus in linea saltem propinquiore succedat. Feudum autem *hæreditarium* tanquam *improprium*, prout à Feudistis feudo *ex pacto & providentia* intuitu successiois *ibi* allodialis saltem ex parte, *hic* verò propriè *feudalis* obtinentis opponitur, tantum non unicè sit pacto contrahentium, aut Statuto provinciæ, per quod à natura & forma feudorum intuitu successiois receditur (c).

(a) LAMBERTI Diff. cit. Cap. I. §. 3. N. 3. & Cap. 2. §. 3. N. 4.

HORNII Jurispr. feud. Cap. 4. §. 36 & 37.

(b) COCCEJI Diff. cit. §. 39.

(c) cit. LAMBERTI Diff. Cap. I. §. 7.

KÖNIG suprà cit. Diff. §. 30 & 36.

§. XIX.

*Negantium Sententia & Præjudiciis provinciæ nostræ
& Imperii firmatur.*

A tque hæc ipsa negantium Sententia per præjudicium novissimum in hocce adeò *Electoralis Aulico & Regiminis Consilio* firmatur, ubi per sententiam in *Causa v. Büllingen* contra *v. Boland* primùm à Commissariis ex hoc Consilio clementissimè ordinatis anno 1772 die 14^{ta} Maji latam, dein in appellationis instantia 1774 per supremum hoc provinciale Dicasterium confirmatam judicatum fuit, quòd Filius de Büllingen Successor in feudo Patris summam pecuniæ à patre in pactis dotaibus Matri pro casu viduitatis in vidualitium ex *bonis suis* assignatam ex *feudi saltem fructibus* casu allodiorum à Patre relictorum non sufficientium exsolvere debeat. Ità pariter sæpiùs in *Camera Imperii* relatum ac respectivè conclusum & judicatum fuit in specie sub priori sæculo in *causa der Gebrüderen von Sternfels* contra *Gebrüdere von Thüngen*, uti & hoc adhuc sæculo in *causa Ingelheim* contra *Ceylsheim*, item in *Causa von Laschanski* contra *die Reichsritterschaft in Franken Orths an der Altmühl* (*)

(*) Vide DE CRAMER *Observationes juris universi*. Obs. 251 & 422.

§. XX.

Præjudicia contraria non obstare ostenditur.

N èc obest, quod à quibusdam tam *Camerae* ipsius prædictæ quondam *Assessoribus* (a) quàm aliis in Praxi Camerali aliàs expertis *Jctis* (b), textum *II. F. 45* de *Praxi Camerae Imperialis* non observari, & à filio feudum patris ex pacto & providentia majorum absque allodiali Patris hæreditate retineri posse allegetur. Etenim 1) sub Litt. (b) citati *Jcti* DE LUDOLFF, LAUTERBACH & HORNIUS ex propria experientià nihil, sed tantùm ad GAILIUM, MYNSINGERUM & ROSENTHALIUM se referunt, 2) MYNSINGERUS autem *l. cit.* neque ad Praxin *Camerae Imperialis* neque ad ullum præjudicium in hac quæstione provocat; deindè 3) GAILIUS loco ultimo cit. tantùm narrat, se meminisse ità in gravissima quadam (sed non nominata) *causa observatum* fuisse, ac denique 4) ROSENTHAL *l. cit.* uni-

cum Camerae Imperialis praedictum ex Saeculo XVI. de 1553 in Causa Rünig contra Hans von Hausen affert. Ex quibus omnibus nihil minus quam praetensa Camerae imperialis praxis, & nihil certiùs fluit, quam quòd omnes hic citati scriptores communem Doctorum opinionem tantummodò intenderint.

- (a) Scilicet MYSYNGERO Cent. III. Obs. 67, N. 5, & Cent. IV. Obs. 2; GAILIO L. II. Obs. 128, N. 18 & 19, Obs. 154, N. 1 & 4.
- (b) Vide ROSENTHAL in Tr. de Feudis Cap. II. Concl. 2, N. 38, & Cap. VII. Concl. 21, N. 5, DE LUDOLFF in Introd. juris primog., HORNIUS in Jurispr. feudali, LAUTERBACH in Collegio practico &c.

§. XXI.

CONTINUATIO.

Esto etiam, quòd in cit. à ROSENTHALIO Causa vel etiam in multis aliis illo tempore ita judicatum fuerit in Camera, quid inde; ergò tantum 1) praedicta antiquiora stant contra juniora, sicque si non negantium nostra nec pro adversariorum affirmante Sententia praxis Camerae allegari potest quod sufficit nobis haecenus. 2) Illa praedicta adversariorum antiquiora sine dubio videntur nata ex *J. F. Allem. Cap. 83 & 98 m. 55 & 70*, cujus quantumvis privatim Collecti plures Jcti germani tum temporis ita tenaces, sicut *J. F. Longob.* illo tempore adhuc in Germania gliscentis hostes insensissimi erant. Quantam verò auctoritatem hoc *J. F. allem.* unà cum *Saxonico* privatim collectum stante *J. F. Longobardico* nunc in nostrà Germanià certò certiùs recepto, habeat, in publicis modò thesibus declaratum est. 3) Haec praedicta antiquiora ex *Concluso Camerae unanimi* in pleno non potuerunt profecta esse, cum aliòquin ita semper imposterum judicari debuisset (*).

(*) Recessus deputationis imp. de anno 1557 §. 5. Vide cit DE CRAMER Obs. 422, §. 3 & 7.

§. XXII.

*Sententiæ negantis ejusve Præjudiciorum conformitas
cum L. L. Imperii.*

Præjudicia hæc Camera (§. XIX) pro negantium sententia adducta unà cum eadem ipsis adeò *feudorum* etiam *Imperii* legibus (a) conveniunt, ad quarum normam tam in judicio imperiali aulico, quam Camera Imperii, ità absque dubio judicatur (b), sicut judicandum est.

(a) PAX PROFANA enim de an. 1548. Tit. 3. §. 2. vult, pacis hujus violatori Bannito, si hic cum damnificato transegerit, vel illius in Banno mortui *hæredibus corporis feudalibus legitimis*: seines Leibes Lehnfähigen Erben, si hi cum damnificato rem ità amicaliter composuerint, feuda per dominum directum ex capite feodonia caducata restitui. Ex quo manifestè sequitur & inferendum, quòd delictum simile vasalli ipsi delinquenti ejusque *descendentibus* quàunicis *hæredibus corporis* feudalibus & legitimis quomodocunque sive ut *hæredibus*, sive ut *descendentibus* vocatis præjudicet, si nec ipsi nec illorum pater reus fractæ pacis publicæ cum damnificato transegerint; atque hoc illatum suum adhuc ulterius robur capit ex eo, quod & *Pax hæc profana* cit. §. 2. versu: Doch soll in solchem Fall den Agnaten an ihren Lehnrechten und Berechtigkeiten hierinn nichts benommen seyn ad normam II. F. 26. §. 16 & II. F. 31. solos excipiat agnatos, hoc est, collaterales delinquentis vasalli. Similem reservationem juris solis agnatis & expectativariis in feudo taliter delinquentis factam reperis in *Cap. ces. art. XX. §. 8.* Si hoc, tunc sententia negantium, quòd filius etiam ut *descendens* vocatus possit feudum patris ità delinquentis retinere, & juri feudali Longobardico & legibus imperii propriis est conformis. Similiter intellege *Ord. Cam. de 1555. P. II. Tit. IX. §. 2.* in verbis: So lang der Friedbrecher lebt, oder bis jeggemeldter Friedbrecher mit dem Beschädigten sich vereinigt und vertragen hat, und der Sache erledigt ist &c. Quoad feuda imperii in specie huic sententiæ & accedit RUSDORFF in vindiciis causæ palatinæ Cap. VIII N. 48. & seq. ubi verba *hæredum masculorum, corporis, vel legitimorum*, vel per *lineam masculinam descendenti-*

tium in Electorum & Principum imperii investituris apposita non hereditarium feudum, sed ex pacto & providentia inducere docet.

(b) Suprà cit. DE CRAMER Obs. 422. §. 7. profiteretur se ab aliquibus expertissimis Camerae Assessoribus suo tempore intellexisse, quòd, cum iudicium imperiale aulicum juxtà *Textum II. F. 45.*, prout jacet, filium patris feudum hereditate repudiata retinere non posse iudicet, & ipsa Camera ideò hanc Sententiam suam fecerit, & in variis causis ità iudicaverit.



P A R E R G A.

Ex jure feudali germanicæ communii.

§. I.

Dominium æquè directum ac utile feudale in alterius prædio per præscriptionem extraordinariam XXX annorum absque titulo speciali acquiri potest.

§. II.

Hærens adhuc in tempore hujus præscriptionis nondum impleto vafallus casu mutati Domini renovationem observer.

III.

Qua intrà debitum tempus non observata per novum XXX annorum tempus regulariter feudum demum acquirat.

IV.

Investituræ primæ renovatio nil novi juris domino aut vafallo tribuit, nec quidquam juris in prima investitura cuicunque quæsitum per quantumcunque temporis lapsum adimit, sed jus antiquum primæ investituræ tantum confirmat.

V.

Quarè & in *ord. prov. Tit. 7.* Wie die Lehn im Erzstift geerbt werden sollen. §. I. cautum est, ne quis feudum antiquum in novum, femininum in masculinum noviter offerre vel aliter in præjudicium ag- aut cognatorum à stipite acquirente descendendum immutare Possit.

VI.

VI.

Unde primæ investituræ *pro hæredibus utriusque Sexûs æqualiter* datæ renovatio *pro hæredibus masculis* simpliciter facta & quocunque etiam annis repetita jus fœminarum in hoc feudo succedendi non adimit.

VII.

Hypothecatio feudi à solo vasallo facta subsistit saltem quoad feudi fructus respectu vasalli hypothecantis ejusve descendendum feudi Successorum, sive feudum hoc primo acquirenti & ejus *hæredibus* sive *descendentibus* datum sit.

VIII.

Agnati verò consentientis descendentes *quæ tales* non aliter, quàm casu, quo parenti consentienti suo tempore in feudo *immédiatè* succedunt, hæc feudi hypotheca sicut parentem ipsum consentientem obligat.

IX.

Bonum aut jus aliquod etiam sub nomine *feudi gastaldie*, seu *ambachtæ* vulgò: zum *Ambachts*, *Urtmanns*, *Ambachtmanns*, *Lehn* datum præter servitiâ & ratione perpetuitatis improprium est.

X.

Quid inde de Successione in officiis Civitatis Colonienfis Electoralibus vulgò: von den *Salzmüddereyen*, *Salzmaassen*, etiam feudis vulgò: *Salzlehn* nominari solitis *ex jure feudali* prætendenda sentiendum sit, palam est.

XI.

Index ordinarius ad instantiam Creditoris decernendo pignus prætorium quoad omnia debitoris proprii etiam Vasalli sui bona non illicè & in hypothecam feudi *quæ Dominus* Creditori consensisse dici potest.

XII.

Pecuniam, quam post mortem Patris Vasalli filius A cohæredis feudalis filii B à feudi antiqui successione ex pacto divisionis dimittendi causa mutuam levavit, ex filio A *descendentes* feudi successores ut debitum *feudale necessarium* solvere debent,

XIII.

Agnati verò ejus collaterales, filio B cum posteritate præ mortuo, ex filio A ultimo descendenti absque hoc debiti onere succedunt.

XIV.

Vasallus debitum *feudale Subsidiarum* à semetipso à debitore principali creatum solvens nec ipse, nec ejus hæres allodialis à successore feudali repetit.

XV.

Ob debitum tamen feudale simile à *Filio* olim Vasallo creatum & à *Cajo* ejus successore agnato feudi ultimo possessore in casu subsidii solutum hujus hæredi allodiali contrà *Mevium* Caji agnatum & successorem in feudo actione de in rem verso, aut negotiorum gestorum datur repetitio.

Ex Jure Feudorum Imperii publico.

I.

Certum quidem est, quòd *Cap. Cæs. Art. XI §. 7* non de Tutore aut Curatore pro Minorene Imperii Vasallo ob feudum non throni ad illum noviter devolutum coram Vicario Imperii ità, sicut coram Imperatore ipso *in §. 5 & 6*, investituram renovante sit intelligendus.

II.

Simplex tamen quorundam assertio, quòd vi cit. *Capituli §. 7* contrà *A. B. Cap. 5 §. 1.* qualibet investituræ renovatio à Vicario Imperii tempore interregni data coram Neo-Electo Imperatore in Judicio imperiali aulico non sit repetenda, vereor ut universaliter quoad omnem effectum de Praxi Imperii admittatur.

III.

Tempus renovandi casu Imperatoris mortui in feudis *non throni* à die mortis cognitæ, in feudis *throni* verò ab electione novi Imperatoris vel respectivè Imperii regimine per Regem Rom. ab antè electum suscepto currit.

IV.

IV.

Vasallus igitur Imperii investituram feudi *non throni*, anno & die antè electionem novi Imperatoris ad finem labente, coram Imperii Vicario renovare non negligat.

V.

Ufus Imperii, quo Vasalli Imperii in revocando morosi sub pœna juris commonentur priùs, quàm feudum caducatur, ut juri feudali Longob. & Veteri Allemannico contrarius teneriorem feudorum Imperii naturam prodit.

VI.

Erroneum tamen & quorundam figmentum est, inter Status quà Vasallos Imperii & Imperatorem nec non Imperium nexùs feudalis aut nihil amplius hodie dùm, aut ejus femimortui nudum aliquod simulacrum superesse.

VII.

Casu mutati Vasalli Imperii tempus renovandi investituram à diè delatæ & cognitiæ successione in *secularibus*, à diè verò legalis provisionis in *feudis Ecclesiarum* Imperii computatur.

VIII.

Quarè in Episcopum vel alium Imperii Prælatum electus aut postulatus A. C. addictus de hac provisione sua Imperatori *intrà annum*, scilicèt à diè hujus provisionis numerandum, fidem facere, & ergà investituram absque ulla exceptione eo prævio promissam juramentum fidelitatis præstare jubetur in *J. P. Osn. Art. 6. §. 21.*

IX.

In quo spho loco: *Taxæ ordinariæ* tanquàm à Vasallis Principibus Imperii quibuscunque per *Ordinationem Cancellariæ & Taxæ Imp. aulicæ reformatam de 1659* non solvendæ quoad Principes Ecclesiasticos A. C. debet legi vel saltem intelligi: *Xenii & jurium Cancellariæ.*

X.

Quòd autem Prælati A. C. addicti ultrà Xenii & jurium Cancellariæ summam *insuper ejusdem dimidium pro infeudatione pendere* vi citati spho debeant, quid speciale & ex speciali ratione est.

XI.

XI.

Exspectativa de feudis Imperii tempore posterior priori cuicumque debet cedere, imò ipso jure nulla est.

XII.

Judicium Imperiale aulicum in causâ *feudali* circâ feudum Imperii *regale* in totum vel pro parte, tam in possessorio saltem ordinariò quàm petitorio, sivè inter solos Vasallos Imperii, sivè inter Imperatorem quàm talem & Imperii Vasallum vertente jurisdictionem feudalem præ Camera Imperii privativè prætendit.

XIII.

Vicarii etiam Imperii hanc ipsam causâ feudalis cognitionem super feudo etiam regali tempore interregni sibi vindicant.

XIV.

Vasallus præfertim simul status Imperii de iis, quæ jura & obligationes Vasallorum ad idem feudum vocatorum inter se concernunt, & *transigendi* & *compromittendi* absque Imperatoris etiam consensu potestatem habet.

XV.

Qui jus hoc *compromittendi* de feudis etiam regalibus Imperii per *Ordinationem Camerae P. II. Tit. 7* seu reservatam ibi judicio Imp. aulico de his feudis jurisdictionem feudalem pro adempto haberi possit.



e mortuo, ex
 te principali
 ubili repetit.
 um & a Corp
 lurum hujus
 udo actione
 de Tutore
 non throni
 coram In-
 dus.
 7 contra
 perii rem-
 o imperiali
 n effectum
 non throni i
 novi impe-
 ant eadem
 11.

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
 Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

TIFFEN Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Red / Light Green / Light Blue	Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Red / Dark Green / Dark Blue	Black

TIFFEN Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007

A	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
		R	G	B				W	G	K				C	Y		M		